1791. szept. 28.

Templom építés engedélyér
Csongrád megye megirásán.

Dto 28 Sept 1791.

Nos Universitas Prælatorum, Baronum Magnatum, & Nobilium Comitatûs Csongradiensis Damus pro memoria tenore præsentium significantes quibus expedit Universis; Quod posteaquam Nos Anno die, Mense, Locoque datarum præsentium pro pertractandis nonnullis Altissimi Servitij Regii promotionem communemque Nostri permansionem tangentibus Rebus, et Negotiis frequenti Numero convenissemus, unaque fuissemus constituti; Eorum Motivo, quod ex Investigatione per Nos ad Instantiam Confessioni Helveticæ addictorum Vásárhelyiensium Incolarum novam Ecclesiam ideo, quod moderna Numero ipsorum haud respondeat, exstrui curandi sibi indulgeri supplicantium, decreta evenerit, Numerum attactorum Supplicantium Animarum ex 11389 consistere, his vero ne medietatem quidem ipsorum ad modernam Ecclesiam ob Angustiam ejusdem recipi, Sumptusque ad Extructionem alterius Ecclesiæ requisitos ita, ut ne minimum quidem Onus in Contribuentes dimanet, adesse, rememoratis Helveticæ Confessioni addictis Incolis Vásárhelyiensibus a Nobis, ut juxta exhibitam eorum Delineationem novam exstruere possint Ecclesiam, in Sensu Articuli 26i Novissimæ Diætæ concessum fuisse. In quorum fidem hasce Nostras rememoratis Helveticæ Confessioni addictis Incolis Vásárhelyiensibus pro legitimatione præmissorum deservituras Authentico Comitatûs Nostri Sigillo munitas extradandas, et concedendas esse duximus Literas Testimoniales. Datum ex Generali Congregatione Nostra die vigesima octava Mensis Septembris Anno Millesimo Septingentesimo Nonagesimo Primo continuative celebrata.

Extrad. per Josephum Bottofalzi
antelati Cottûs Csongradi-
ensis Ord. pr. Notarium mppria